

**05**

**A**

**328**









J. N. J. A.

Cl. Arnifæi

UNIVERSA

DOCTRINA POLI-  
tica Aphorismis brevissimis  
inclusa

*Publicæ Disputationis loco proposita*

à  
M. JOHANNÈ OLEARIO

Hallens. SAX. Amplifs. Fa-  
cultatis Philosophicæ  
Adjuncto.

RESPONDENTE

CHRISTIAN-ANDREA Krembergk

Elect. Sax. Alumno.

*ad diem 27. Julij*

Horis à 7. Matutinis

*In Auditorio Majori.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI,

ANNO MDCXXXVI.



UNIVERSITÄT  
DOCTRINA POPULI  
M. JOHANNES OLIVARIO



05 A 328







Proœmium.

**S**ynopsin Politicam Disputationibus Politicis addituri, ex Cl. Arnisæi doctrinâ Politicâ Aristotelicâ aphorismos brevissimos, auctoris verba, quantum fieri potest, quoad præcepta & definitiones referentes, hac vice proponere constituimus. Quod ut rectè fiat, adsit Jehova! In cuius nomine sit

LIB. I. CAP. I.

## De CONSTITUTIONE

Politicae.

Aphorismus sive §. 1. *Praxis* est operatio regulata à ratione. *Francis. Maron. 1. sent. dist. 48. q. 2.* Propriè pro ista operatione accipitur, quæ ad honestatem destinatur. *6. Metaph. 1. 1.*

§. 2. Politica tractatur ordine *resolutive*, à fine ad media.

§. 3. *Finis* est vel externus vel internus. *Externus* est bene & beatè vivere.

§. 4. *Internus* est ipsa Respubl.

§. 5. Respubl. est ordo Civitatis.

§. 6. Constituitur ex Imperantibus & Obedientibus.

§. 7. *Subditi* sunt in triplici differentia, aut Peregrini, aut Incolæ, aut veri Subditi.

§. 8. Respubl. gubernatur per Majestatis Vicarios & per Leges.

§. 9. *Officiales* aut consilio aut auxilio profunt; illos *Senatus*, hos *Magistratus* nomine appellare solemus.

§. 10. Politicus Magistratus illos inter se confert, indeq; depromit officia, quæ omni Reip. necessariò conveniunt.

§. 11. *Civitas & familia non sunt principia*, per quæ constituitur Respubl. sed sunt *materia*, in quam Respubl. tanquam forma introducitur.

A 2

§ 12. Ci-



§ 12. *Civitas est subjectum Reip.* huic enim inducitur per media.

§ 13. *Civitas est totum aggregatam ex pluribus familiis.*

### CAP. II.

## De FAMILIIS IN GENERE.

§. 1. *Civitas non est propter ipsum vivere, sed propter bene vivere.*

§. 2. *Honestas & naturalis instinctus hortatur animos ad societatem appetendam.*

§. 3. *Familia propriè nomen juris est, non personarum.*

§. 4. *Familia est recta gubernatio eorum, quæ sub imperio unius Patris familias continentur.*

§. 5. *Duplex est finis familiarum, Procreatio sobolis & sustentatio.*

§. 6. *Ad sobolem procreandam opus est viro & uxore; ad sustentationem familiæ servis.*

§. 7. *Liberi familiis annumerantur non tanquam partes, sed tanquam effectus.*

§. 8. *Multitudo servorum non facit diversitatem in familia.*

### CAP. III.

## De MARITO ET UXORE.

§. 1. *Reip. interest, ut Conjugia sint frequentia.*

§. 2. *Mediâ etate ducendam uxorem legumlatores probaverunt. Novell. 109. fœminis 12. masculis 14. annum definit.*

§. 3. *Sponsalia ante 7. annum fieri non debent.*

§. 4. *Conjugia debent esse libera, scil. quoad iure non perhibentur.*

§. 5. *Conjugium est conjunctio maris & fœminæ, & consortis, um omnis vitæ, divini & humani juris communicatio.*

§. 6. *Polygamia excluditur.*

§. 7. *Reiterata nuptia permittuntur.*

§. 8. *Mulierum permutatio, licet consentiente uxore, non infertuenda.*

§. 9. *Fornicatio causa est divortii.*

§. 10. *Privata mariti vindicta ob adulterium mulieris non conceditur.*

§. 11.



- 101.
- §. 11. *Diverfitas religionis non est causa divortii; neq; sterilitas.*  
 §. 12. *Jus natura est, ut dignior imperet.*  
 §. 13. *Leges Romanorum dignitatem faminarum æstimant tantum ex dignitate mariti.*  
 §. 14. *Mulier in potestate mariti est, non patris.*  
 §. 15. *Maritus vitæ necisq; potestatem in uxorem non habet.*  
 §. 16. *Maritus non facile castigationem realem admittat.*  
 §. 17. *Mulier est sub potestate, quando videlicet refertur ad maritum, aliàs quoque imperium habet in liberos &c.*  
 §. 18. *Ducenda est 1. nota. 2. æqualis. 3. virgo, 4. pulchra.*  
 §. 19. *Vitium occultum verbis patefiat, ne maritus decipiatur.*  
 §. 20. *Spectanda æqualitas in dote.*

CAP. IV.

De DOMINO ET SERVO.

- §. 1. *Servi in dominium nostrum rediguntur aut Jure Civili; aut jure Gentium. Aristot. 1. Polit. c. 1. & 3. addit & quidem Jure natura, quando natura generavit hominem, adeo rationis impotentem, ut sibi ipsi de salute prospicere non possit.*  
 §. 2. *Jure Gentium aliqui nascuntur, aliqui in bello capiuntur.*  
 §. 3. *Jure Civili vero, qui pretium accipiunt, & libertatem suam vendunt.*  
 §. 4. *Creditorem in servitutem abduci iniquum est.*  
 §. 5. *In Ecclesia durant servitutes usque ad annum 1190.*  
 §. 6. *Æquitatis est servitutem esse abrogatam.*  
 §. 7. *Servorum conditio apud Romanos fuit miserrima.*  
 §. 8. *Multitudo servorum Reipubl. nocet.*

CAP. V.

De PATRE ET LIBERIS.

- §. 1. *Inter parentes & liberos societas vel amicitia regia est.*  
 §. 2. *Ab obedientia liberatur filius per officium publicum.*  
 §. 3. *Jcti dederunt in parentem imperium filio in tali constituto officio.*  
 §. 4. *Obedientia refertur ad imperantem. E. pater habet potestatem in liberos, non tamen vitæ necisq;.*  
 §. 5. *Constantinus M. filiarum interfectores ut parricidas puniri voluit.*  
 §. 6. *Alimenta liberis sunt præstanda, & vice versâ.*

CAP.



## De CIVITATE &amp; CIVIBUS.

- §. 1. *Civitas est adæquatum subjectum Politices.*
- §. 2. *Urbs & Civitas differunt.*
- §. 3. *Civitas est Societas domorum & generum seu familiarum, vitæ perfectæ & per se sufficientis gratiâ.*
- §. 4. *Finis est benè & beatè vivere, quantum in multitudine fieri potest.*
- §. 5. *Civitas est quasi materia, in quam Respubl. tanquam forma inducitur.*
- §. 6. *Civis est socius, qui cum sua familiâ in societate familiarum benè vivere intendit.*
- §. 7. *Civis Romanus plenus est, qui domicilium, tribum vel censum, & publicos honores ad eundem potestatem habet.*
- §. 8. *Coloniae sunt civitates, & majoribus civitatibus, tanquam Populorum examinibus conditæ.*
- §. 9. *Coloni sunt cives, qui ad incolendam urbem bello captam mittuntur.*
- §. 10. *Coloniae aliae Romanae sunt, aliae Latinae.*
- §. 11. *Municipes sunt cives Romani ex municipiis suo jure & LL. suis viventes, muneris tantum cum Pop. Rom. honorarii participes, à quo munere capellendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neq; ullâ Populi Rom. lege adstricti. vid. Gell. l. 16. c. 13.*
- §. 12. *Sunt autem Municipum duo genera, sine suffragio & cum suffragio.*
- §. 13. *Modi obtinendi civitatem sunt: 1. Nativitas, filius enim civitatem, ex qua pater ejus originem ducit, sequitur.*
- §. 14. *Distinctarum Civitatum nemo potest simul esse civis.*
- §. 15. *Cives dicuntur membra civitatis.*
- §. 16. *Cives omnia debent civitati.*
- §. 17. *Nemini licet patriam invitam mutare, aut ejurare. l. origine. l. si quis. C. de municip. nisi publica necessitas id exegerit Ulpian. l. assumpt. ff. ad Municip. & Valentin. in l. Curiales C. de decurion.*
- §. 18. *2. Manumissio.*

§. 28. Apud



§ 19. Apud Romanos *liberti* pro civibus reputabantur.

§ 20. 3. *Cooptatio* vel *donatio*.

§ 21. Romani difficulter *alienigenas* receperunt, quia putabant cives Rom. majestate plenos esse.

§ 22. *Perduellus est*, qui hostili animo adversus Rempubl. vel Principem suum animatus est. *l. fin. ff. ad l. Jul. Majest.*

#### CAP. VII.

### De REBUS PUBLICIS IN GENERE.

§ 1. *Respublica est ordo* totius civitatis consistens in regimine summæ potestatis per medios Magistratus.

§ 2. *Essentia Reip.* non consistit in paupertate & divitiis, sed in personarum numero.

§ 3. *Respubl.* tum à principibus tenentur, tum à populis, aliquando à singulis.

§ 4. *Est*, vel *Monarchia*, vel *Aristocratia*, vel *Democratia*.

§ 5. *Lydius lapis*, ad quem omnes Respubl. exigenda, est cura salutis & boni publici.

§ 6. *Perfecta est* illa Resp. in qua cives benè & beatè vivunt.

#### CAP. VIII.

### De MIXTA REPUBLICA.

§ 1. Non judicanda est *Resp. Mixta*, nisi formæ ita inter se temperatæ sint, ut nullius simplicis nomine jure nominari queant.

§ 2. *Mixtio est* vel vera vel apparens.

§ 3. *Summæ & plenæ potestatis ea ratio est*, ut aliam secum non compatiatur.

§ 4. *Vera mixtio est*: Quando jura Majestatis separantur, & diversa diversis statibus attribuuntur.

§ 5. *Resp. Lacedæmonica* fuit Aristocratica cum Democratia mixta.

§ 6. *Resp. Romana* fuit Democratica aliquando.

§ 7. Nulla Resp. tam subito *mutari* potest, quin aliquid præcedentis formæ retineat. *Aristot. 4. Pol. 5. in fin.*

§ 8. *Conditio nascentis Monarchiæ* svasit, sæpè populo indulgere aliquid, & fucum adspargere, ne sentiret, jura à se auferri.

§ 9. So.



§. 9. *Socordia* Impp. tribuendum est, quando quas ipsi noluerunt gerere res, Senatui permiserunt.

§. 10. *Resp. Imperii Rom.* Monarchia rectè dici poterit. Est tamen propriè Monarchia cum Aristocratiâ mixta.

§. 11. *Resp. Regni Polonici* ad Aristocratiâ propius vergit.

§. 12. *Resp. Venetorum* Aristocratica est.

### CAP. IX.

## DE MONARCHIA, REGNO & TYRANNIDE.

§. 1. Monarchia est Rerum publ. prima.

§. 2. Monarchia 5. diversitates non species tradit *Aristot.* 3. *Polit.* 10.

§. 3. Quarum prima est secundum leges.

§. 4. Secunda tribuitur Barbaris.

§. 5. Tertia extraordinaria est.

§. 6. Quarta Heroica est.

§. 7. Quinta vera, quando unus tantum imperat.

§. 8. Si necessitas cogit imperantes multiplicari, satius est plures præfici, quàm duos.

§. 9. Regnum est Monarchia, in qua salus subditorum maxime procuratur, quod fit, quando Monarcha subditis sua cuique bona propria, secundum Dei, naturæ, suasq; ex æquo & iusto conditas Leges imperat.

§. 10. Virtus Regis potissima est Pietas, quæ amplectenda Principi, quatenus Christianus est.

§. 11. Requiritur potissimum in Principe 1. ut talem se præstet privatis, qualem ipse privatus optaret. (*Nota.* Severitas cum clementia temperanda.) 2. ut cæteros mortales nitatur virtutibus superare. 3. Autoritas.

§. 12. Modus ad imperium ordinariè perveniendi non sit fors, quia sæpè temeritas inter sortes regnat.

§. 13. Quando quaritur de electionis & successionis comparatione? *Resp.* Boni civis esse præsentem statum, quamvis improbum, boni consule, e, quoniam sine majori malo mutari nequit.

§. 14. Primogenitus reliquis præfertur: Item Nepos Patruo.

Primo-



105,  
§. 15. *Primogenitus etiam anteregnum adeptum ceteris præferendus est, nisi aliud per Leges Imperii statutum fuerit.*

§. 16. *Fœmine ab imperio ordinariè arcentur. Item Spurii.*

§. 17. *Dominatus est species Monarchiæ, inter Regnum & Tyrannidem media, ubi subditorum cura secundariò & conditionatè habetur.*

§. 18. *Dominus hic est, qui libertatis & fortunarum omnium dominus, jure belli factos, aut fœdere subditos, quasi Paterfamilias servos moderatur. Sic olim Rex Persarum; Hodie Turca, &c.*

§. 19. *Apud Europæos in feudis vestigia dominatus inveniuntur.*

§. 20. *Tyranni olim dicebantur, qui potestate erant perpetuâ in eâ civitate, quæ libertati assueverat. Emil. Prob. in Miltiad.*

§. 21. *Tyrannus est, qui negligit & subvertit bonum publicum, habitâ tamen ratione sui commodi.*

§. 22. *Tyrannus vel titulo est, vel exercitio.*

§. 23. *Tyrannis est violentum imperium unius præter mores & leges. Lipsius 6. Polit. 5.*

#### CAP. X.

### De ARISTOCRATIA, DEMOCRATIA, & Rerumpubl. inter se comparatione.

§. 1. *Quando pauciores imperant, Aristocratia est: Quando plures ex universo civium ordine, Democratia est.*

§. 2. *Aristocratia benè constituta est, quando optimi quique ad salutem civium gubernant. Contrarium hujus est Oligarchia.*

§. 3. *Democratia est, quando universus Populus, vel maxima ejus pars æqualiter imperat secundum leges.*

§. 4. *Democratia potissimus finis est libertas.*

§. 5. *Democratia vitium est, quando improba plebs pro arbitrio suo omnia agit cum detrimento Reip. aut primariorum civium.*

§. 6. *Monarchia (absolutè) præstantissima est ex commoditatibus, quibus ceteras species antestat.*

B

CAP.



CAP. XI.

DE SUMMA POTESTATE & JURIBUS MAJESTATIS.

§. 1. Imperantes hic intelliguntur, qui propriam potestatem sine superiori habent.

§. 2. Magistratus sunt instrumenta, per quæ summa potestas imperium suum exequitur.

§. 3. Majestas cuius Reip. perfectæ attribuenda est.

§. 4. Majestas soluta est LL. positivis.

§. 5. Ita tamen, ut juramentum divinis & natural. legibus consentaneum Majestatem non imminuat.

§. 6. In hanc summam potestatem committitur *crimen læsæ Majestatis*. (ad eos etiam pertinet, qui sunt membra Majestatis. l. Quisquis. C. ad l. Jul. Majest.)

§. 7. Jura Majestatis sunt: 1. Potestas ferendi leges, it. absolvendi aliquem à LL. & irrogandi privilegia, remittendi & condonandi scelera, legitimandi & natalia restituendi.

§. 8. 2. Summum imperium & jurisdictio sine provocatione.

§. 9. 3. Potestas instituendi magistratus.

§. 10. 4. Potestas exigendi tributa & vectigalia [summâ urgente necessitate, non ad luxum.]

§. 11. 5. Jus tractandorum armorum.

§. 12. 6. Viæ publicæ, flumina navigabilia, portus, ripaticæ, thesauri in locis publicis inventi, res pro derelictis habitæ, Venatio, (quæ jure naturæ regale non est, sed longâ præscriptione in Principes derivata) Confiscatio bonorum damnatorum, Jus signandæ monetæ.

CAP. XII.

DE HIS, QUI SUMMÆ POTESTATI SUBJICIUNTUR.

§. 1. Quicumq; in Rep. vivunt, aut peregrini sunt, aut incolæ, aut indigenæ & veri subditi.

§. 2. Peregrinus est hospes, qui in aliena versatur Rep. ubi nec domicilium habet, nec Reip. pars est.

Non



- 105
- §. 3. Non temerè quilibet recipiendi sunt.
- §. 4. *Peregrini* non facilè ad magistratum admittendi sunt.
- §. 5. *Incola* est, qui aliqua regione domicilium suum contulit.
- §. 6. *Veri & proprii subditi* sunt partes Reip. quæ summæ potestati, quoad omnia sua obligantur, pro quo omnibus juribus & privilegiis Reip. vicissim fruuntur.
- §. 7. *Vox civis de honorariis* æquivoce prædicatur, cum præter nomen civitatis nihil illis communicetur.
- §. 8. *Senes* primi in Rep. esse debent (cæteris paribus.)
- §. 9. *Servi* non sunt cives.
- §. 10. Singula genera civium in duo fora distingvenda sunt, Ecclesiasticorum & secularium.
- §. 11. Primus locus *Ecclesiasticis* datur.
- §. 12. *Rom. Pontifex* plus vult, quàm par est.
- §. 13. *Constantini M. donatio* nulla est.
- §. 14. Distingvenda est *potestas* Ecclesiastica à Politica.
- §. 15. *Cognitio summa* Ecclesiasticorum quoad causas Politicas ad unum Pontificem Romanum non pertinet.
- §. 16. *Seculares* in nobiles & ignobiles seu plebeios dividuntur.
- §. 17. *Mantia Roma* triplex, Equitatu, plebe, Senatu. (*Aufonius.*)
- §. 18. *Equites* tam ex plebe, quàm ex patritiis eligebantur.
- §. 19. *Nobile est*, quod in unoquoque genere excellit.
- §. 20. *Solæ divitiæ* non nobilitant, quia cadunt etiam in infames.
- §. 21. *Vera nobilitas* ex Virtute est, & ex genere.
- §. 22. *Quando verò queritur, cujus major sit dignitas, an illius, qui ex genere, an qui ex propria virtute nobilitatur?* Dist. Nam si nobilis genere à parentum virtute deficiat, suapte culpa genere cadit, genus ingenuum improbat, & tunc recens virtus præferenda; Si verò nobilis genere imitetur virtutem paternam, & nobilitatem ex genere deductam nova virtute adaugeat, tunc alteri meritò præfertur.



§. 23. *Potestas conferendi nobilitatem ad omnem Majestatem pertinet.*

§. 24. *Inter nobilitates primus locus Theologis datur.*

§. 25. *Secundus Prudentibus..*

§. 26. *Jurisprudentia non est sciencia propriè dicta.*

§. 27. *Prudentes triplices sunt.*

§. 28. *Primo loco Jcti ponendi sunt.*

§. 29. *Secundo, Medici.*

§. 30. *Tertio, Philosophi.*

§. 31. *Cum hoc doctorum ordine coincidit ordo militaris.*

§. 32. *Simplex militia quidem non connumeratur inter gradus dignitatis, ea tamen, quæ cum præpositura est, ut sunt Capitanei equestres &c. dignitatem habet.*

§. 33. *Nobilium nomen latissimè patet, ita ut complectatur omnes ordines infra Majestatem usque ad plebeios.*

§. 34. *Sequuntur Plebei, qui officia sordidiora tractant, ut sunt agricolæ, mercatores, opifices &c.*

§. 35. *Politicus habet rationem non jucundissimæ, sed optimæ vitæ.*

§. 36. *Quando quæritur: An mercatura sit exercenda? D. inter mercaturam tenuem & copiosam, si tenuis, sordida putanda; si copiosa, magna & multa undique portans, non est admodum vituperanda.*

§. 37. *Lucrum non sit propositum mercatori tanquam finis, sed tanquam stipendium laboris.*

§. 38. *Si quærat, an opifices sint tolerandi? D. inter artes ad necessitatem & ad voluptatem comparatas, hæc rejiciendæ, ut coci, pistores, tabernarii &c. Necessariæ verò habentur non omnes ejusdem rationis: nonnullæ enim licet desiderari commodò nequeant, tamen suâ naturâ ita sordidæ sunt, ut ingenui ab istis abhorreant, ut officium licitorum, carnificum &c.*

§. 39. *Cæteri opifices, qui nec sordida opera nec inhonestum quæstum exercent, nec corruptelas inducunt, civibus adscribi possunt.*

§. 40. *Antiqua distributio civium est in tribus & curias.*

§. 41.



105  
§. 41. *Tribus* appellata est à tribus partibus, in quas Romulus Populum Romanum distribuerat.

§. 42. *Curie* comparantur *Parœciis* apud nos.

§. 43. *Collegium* est trium ad minimum aut plarium personarum ejusdem conditionis societas.

§. 44. *Collega* debent esse ejusdem professionis.

§. 45. Ex diversis professionibus nascitur *corpus*: ex corporum & collegiorum congregatione *Universitas*.

§. 46. *Jus Collegiorum* consistit in hoc, quod possint de rebus suis, & in Collegas statuere, dummodo non statuant contra LL. publicas.

### CAP. XIII.

## De OFFICIIS REIPUBL. IN GENERE.

§. 1. *Extraordinarii vicarii* etiam sub officialium nomine in genere comprehendi possunt.

§. 2. *Inquilini* ad munera gerenda à Rep. cogi possunt.

§. 3. *Salaria* officialibus sunt constituenda.

§. 4. *Munera* pro judicio non sunt accipienda.

§. 5. *Ambientes* non sunt facile admittendi.

§. 6. *Virtutes officialium* sunt 1. Civium commoda promovere. 2. probitas morum.

§. 7. *Divites* nisi fraude & quæstu divitias acquisierint, potius ad imperium admittendi, quam pauperes.

§. 8. Multi *consanguinei* simul ad officia non evehendi.

§. 9. Unus *multitudine* officiorum non prægravandus.

§. 10. Quando quæritur, an *Magistratus perpetuus*, an verò *ambulatorius præstet*? Dist. est inter Magistratum summum & inferiores. 2. inter Rempub. Monarchicam & Polyarchicam. 3. inter cives æquales & inæquales.

### CAP. XIV.

## De SENATU.

§. 1. *Alia officia necessaria* sunt, ut carere ijs minimè Respub. possit, quæ *ordinaria* vocantur; alia *extraordinaria*.

B 3

§. 2. Se-



§. 2. *Senatus necessarius est* in Democratia ad præcipitantiam & furorem vulgi suâ tarditate contemperandum : In Aristocratia, quæ ex senatu constat : In Monarchia, quia unus omnia sustinere non potest.

§. 3. *In senatu nullum est imperium*, quatenus in se spectatur, nisi aliud quoddam officium à Majestate ipsi unâ committatur.

§. 4. *Senatus Romanus* non erat simpliciter Magistratus, sed gerebat partem Majestatis.

§. 5. *Senatui adscribi debent*, qui prudentiâ pollent.

§. 6. *E Magistratibus* senatus esse debet.

§. 7. *Senectus* in Senatore requiritur & juvenus plerunquæ rejicitur ordinariè.

§. 8. *In dando consilio* senator respicere debet bonum publicum.

§. 9. *Mos dicendi sententiam* servandus.

§. 10. *Post consilium* requiritur silentium.

§. 11. *Numerus Senatorum* non fit amplius,

#### CAP. XV.

### De MAGISTRATIBUS.

§. 1. *Magistratus* pro ea potestate hic sumitur, quæ summæ subjicitur.

§. 2. *Ecclesiastici* non sunt Magistratus.

§. 3. *Judices* judicabant vi ejus, cujus mandatu causam suscepissent.

§. 4. *Magistratus* est potestas ordinaria ex lege à Majestate concessa, ad gerendas res Reipubl.

§. 5. Quando quæritur, an potestas magistratuum sit propria? Dist. inter Magistratum propriè & impropriè dictum. vid §. 1.

§. 6. *Magistratus dividitur* pro numero negotiorum & amplitudine Reipubl.

§. 7. *Jurisdictio* (in genere) est potestas de quacunque re cognoscendi & judicandi, seu judicatum exequendi.

§. 8. *In*



- §. 8. *In specie opponitur Jurisdictio imperio mero.*
- §. 9. *Verfatur autem cura Magistratum I. in providentia de salute totius Reip. quemadmodum Archontes & Consules.*
- §. 10. *Hic magistratus nimia potentia non est armandus*
- §. 11. 2. *Circa redditus publicos & ærarium. Unde Questores.*
- §. 12. 3. *Circa justitiam.*
- §. 13. *Premiorum distributionem princeps per se exercere debet, poenarum verò irrogationem prætoribus & c. committere.*
- §. 14. *Princeps non debet quascunque lites audire, nec judicare, & nimiam familiaritatem cavere.*
- §. 15. *Judex in maleficiis condonandis nimis facilem se non præbeat.*
- §. 16. *Judex Secundum LL. sine dubitatione planas, & honestati vel pietati convenientes judicare debet.*
- §. 17. *Persona judicis sententiâ juris instructa esse debet.*
- §. 18. *Necesse est judicem à crimine, quod damnaturus est, immunem esse.*
- §. 19. *Judex debet affectibus vacare.*
- §. 20. *Judex non debet munera accipere.*
- §. 21. *Utraque pars à Judice audienda est.*
- §. 22. *Judex non debet sententiam precipitare.*
- §. 23. *Moribus præpositos oportet Censores, qui ea corrigant, quæ LL. definiri nequeunt;*
- §. 24. *Duplex est Censuræ officium*
- §. 25. *Primum in numeri, ætatis, ordinis, conditionis, dignitatum, possessionum, civum æstimatione & descriptione consistit.*
- §. 26. *Secundum in emendatione morum consistit.*
- §. 27. *Ex usu reipub. esset, ut Censura reduceretur.*
- §. 28. *A Censoribus prospiciendum, ut conjugia rectè instituantur, pueri rectè educantur, ne fœminæ & viri nimis superbiant, nec luxum in vestitu, cibo ac potu admittant.*

CAP. XVI

DE CLIRATORIBUS.

- §. 1. *Ordinarios Sequuntur extraordinarii Magistratus.*

§. 2. *Cu-*



§. 2. *Curatores* sunt, quibus officia committuntur extra ordinem sine lege aut consuetudine.

§. 3. Eos *magistratus* hic consideramus, quibus dantur mandata summæ Potestatis extra ordinem exequenda.

§. 4. Horum *prima lex* est: Nihil ultra mandatum agere.

§. 5. *Mutatâ voluntate* mandantis ipsorum quoque officium desinit.

§. 6. Inter *Curatores* maximè prominent *Legati*.

§. 7. *Securitas* Legatis præstanda est.

§. 8. *Legati* modestè se gerant in alienâ terra.

§. 9. Si duriora fuerint Legatis mandata injuncta, prudenti temperamento mitiganda sunt.

## CAP. XVII.

### De LEGIBUS.

§. 1. *Lex* dicitur instituta ad compescendum improbos, & ut justi tuti sint.

§. 2. *Lex* est jussum à summa potestate promulgatum.

§. 3. *Bonitas* non pertinet ad essentiam legis; est tamen tenenda.

§. 4. Non est de essentia legis *Scriptura*.

§. 5. *Rationes LL.* ex intimâ Philosophia desumendæ, Cic. 1. de LL.

§. 6. *Philosophia* derivat leges ex justitia.

§. 7. *Justitia duplex* commutativa & distributiva, ad hanc præmiorum, ad illam poenarum distributio refertur.

§. 8. An verò poenæ proportione Geometricâ, an Arithmeticâ irrogandæ, judicem docebit prudentia ex legibus tam divinis quam humanis comparata, conjuncta cum experientia & solerti consuetudinum atque circumstantiarum consideratione.

§. 9. *Multitudo LL.* nimia noxia est.

§. 10. LL. simul lata non facilè mutandæ.

## CAP. XVIII.

### De EDUCATIONE.

§. 1. *Maxima necessitas* est Educationis rectæ.

Reip.



§. 2. Reip. interest, statim à principio generationi liberorum prospicere, item gestationi & nutritioni.

§. 3. *Infans lacte materno* nutriendus est.

§. 4. Unusquisque eò ducendus est, quò *natura* vergit.

§. 5. *Institutio publica* privatæ præfertur.

§. 6. *Cives* ad honestum aliquod *genus vitæ* adigendi, & ab otio avertendi sunt.

§. 7. *Vagi mendicantes* robusti, item *Zigemi* non sunt tolerandi.

§. 8. *Collegia* ad promovenda studia institui debent, non tamen sine Reip. autoritate,

§. 9. *Academia* potestate & Jurisdictione sunt instruenda.

§. 10. *Studia liberalia* præstant cæteris,

### LIB. II, CAP. I.

## De CORRUPTIONE ET CONVERSIONE RERUM.

§. 1. Hactenus prima pars, quomodo Resp. componenda, sequitur altera, quomodo curanda vel corruptio prævertenda sit.

§. 2. Ubi Dist. inter naturalem declinationem seu defectum, & inter morbum Reip.

§. 3. Quando una species in aliam mutatur, non essentia Reip. sed qualitas mutatur.

### CAP. II.

## De CAUSIS QUIBLISDAM CORRUPTIONUM RERUM.

§. 1. *Occasio* veris causis annumeranda non est.

§. 2. *Numeri Platonici* sunt res obscurissima.

§. 3. *Fato* si quid hinc tribuendum, intelligenda est potissimum divina providentia.

§. 4. *Astra* non sunt interitus Rerum. causæ,

C

§. 5. Neg.



§. 5. *Neg. cometa & Eclipses.*

§. 7. *Politico non Astrorum cursus respiciendi sunt primario, sed quæ ex suâ disciplinâ derivantur, causæ proximæ.*

*CAP. III.*

**De CAUSIS MUTATIONUM SPONTANEARUM ET PER FALLACIAM.**

§. 1. *Causæ proximæ sunt vel externæ vel internæ.*

§. 2. *Internæ fiunt vel per vim, vel per fallaciam, vel sponte, & cum gratia tum imperantium, tum parentium.*

§. 3. *Interdum indulgentiâ principum Resp. mutata fuerunt.*

§. 4. *Si leges de anno in annum acuantur, & sensim particulæ Majestatis, una post aliam decerpantur, ita ut tota Majestas uno ictu præcidi non sentiat, verè sophisticus proceditur ad potestatem unius minuendam.*

§. 5. *Per fallaciam Resp. mutatur, quando vulgo vel universo populo tam callidè imponitur, ut quod fit, fieri non sentiat.*

*CAP. IV.*

**De CAUSIS MUTATIONUM PER VIM INTERNAM.**

§. 1. *Seditio certum Reip. interituræ est argumentum, aut à seipsâ, aut per vim externam supervenientem.*

§. 2. *Dissentio civium, Licet Reip. mortem non afferat, aperit viam potentioribus Principibus eam occupandi.*

§. 3. *Discordia undecim causæ enumerari possunt.*

§. 4. 1. *Nimius honor, uni exhibitus, & reliquis denegatus.*

§. 5. 2. *divitiæ, quæ perinde hominum oculos perstringunt, ut honores.*

§. 6. 3. *ὑπεροχή.*

§. 7. 4. *ἀύξησης.*

§. 8. 5. *Metus seu desperatio.*

6. *κατά.*



§. 9. 6. κατὰ φρόνησιν seu contemptus. (Quem potissimum pariunt, 1. Neglectus rerum publicarum, 2. Mores pravi & vitia. Ea; interdum etiam leviora.)

§. 10. 7. Contumelia (major contemptu) est gravis injuria vel in corpus, vel in bona subditorum.

§. 11. 8. ἐπίδεια, coitio humilium, quæ tamen stultissima est, cum nemo eorum mortem evaserit.

§. 12. 9. ὀλιγωρία, quando per incuriam Resp. datur administranda iis, quibus præsens status dividia & odio est.

§. 13. 10. ἢ παρὰ μικρὸν quando putamus, hoc concessio, nihil decessurum Reip. (Idq; In Democratia potissimum locum habet propter imperitiam vulgi, quod per Demagogos facile seduci potest. Hi enim duplici modo afferre solent Rebuspub. interitum. 1. Quando populo adulantes, ejusq; res nimis dilatare cupientes, nobilibus occasionem præbent, contra plebem consilia ineundi. 2. Quando ipsam plebem contra patritios armant & exstimulant.)

§. 14. Dissimilitudo hominum in Rep. viventium.

§. 15. Quibus omnibus alia etiam causa addi potest, mutatio nimirum Religionis.

#### CAP. V.

§. 1. Contraria sunt contrariorum remedia.

§. 2. Remedia in duplici sunt differentia, alia aperta, alia arcana.

§. 3. Remedia triplicia proponuntur, aut enim sunt præservativa, aut curativa, aut remedia in specie proposita.

§. 4. 1. Præservativa præcedunt.

§. 5. Securitas vitanda est, & periculum in propinquo fingendum, ut metus civibus injiciatur.

§. 6. Causis Remp. corrupturis viam præcludunt hæc:

§. 7. 1. Nihil, quantumvis minimum, negligendum.

§. 8. Et Delatoribus non utendum.

§. 9. 2. Leges non facile mutandæ, si tamen mutatio instituenda, ita fiat, ne à populo sentiat; quod fit, si pristina rei umbra semper retineatur.

§. 10. 3. Sophismata Demagogorum cavenda.



§. 11. Oratores verò hodie tantam vim non habent, nisi religionis prætextu abutantur.

§. 12. 4. Prudentes Reip. proponendi Magistratus.

§. 13. Magistratus, tum erga subditos, tum erga collegas suos benè se gerat.

§. 14. 2. *Sequuntur Curativa.*

§. 15. *Seditio* curatur vel antevertitur, si æqualitas inter cives observetur.

§. 16. Cui verò parti in seditione favendum, prudentia docet & circumstantiæ.

§. 17. Reconciliatio tentanda, à mitioribus incipiendo.

§. 18. Minari magis convenit duriora à principio, quàm inferre.

§. 19. Si hæc remedia non profuerint, ejiciendi sunt è Rep. aut alteruter, aut, quod Reip. utilius est, uterque.

§. 20. Si quærat, an monomachia reduci debeat? Dist. inter casus, si talis casus adsit, ubi sine cæde civium controversia componi non potest, ex duobus malis minus eligendum est; propter levem verò casum nil concedendum.

§. 21. Si *plebes universa tumultuetur*, per arcana procedendum, & consilio, non impetu, per virum gratiâ apud populum valentem.

§. 22. Omnis cura in *autores* convertenda.

§. 23. Est etiam alia via seditionem declinandi, amandatis sub prætextu quodam specioso, & cum spe melioris fortunæ seditiosis.

§. 24. *Gladius* in universum populum non stringendus, quia periculosum & à crudelitate parùm alienum.

§. 25. Contra *desperationem* optimum est remedium, ne spes veniæ ullis hostibus præcidatur.

§. 26. *Nimia severitas* coercenda.

§. 27. 3. *Tandem Remedia in specie proposita sequuntur.*

§. 28. *Contra divitiarum* invidiam census inventus est, ne liceret alicui civium ultra mensuram ditescere.

§. 29. Verus etiam divitiarum *usus* invidiam amolitur.

Contra



§. 30. Contra invidiam ex nimia potentia diligenter cavendum, ne quis ultra mensuram crescat.

§. 31. Nonnulli per magistratus & officia Reip. potentiam acquirunt; nonnulli per opes privatas.

§. 32. Cavendum, ne cum summis Magistratibus potestas armorum jungatur.

§. 33. Minuitur potestas tribus modis.

§. 34. 1. Si potentiae unius vel plurium opponatur alius Magistratus, qui horum acta impediendi facultatem habeat.

§. 35. 2. Si magnis imperiis breve spatium concedatur.

§. 36. 3. Si potestas inter plures dividatur.

§. 37. Potentia nimis jam adaucta impeditur, si alio nimis potentes amendentur.

§. 38. Ostracismus olim adhibebatur.

§. 39. Statim Tyrannum opprimere non facile suadendum.

§. 40. Contra contemptum videndum est Magistratui, ne ipse subditos contemnat, nec ab iisdem contemnatur.

§. 41. Laborandum Magistratui de favore & amore subditorum.

§. 42. Remedia contra contumeliã sunt, (quæ vel corpori inferuntur,) ut non tantum à crudelitate absteineat princeps, sed etiam ne id committant magistratus, prospiciat.

§. 43. (Vel bonis subditorum,) ut subditis, quantum possit, ab exactionibus parcat, si verò necessitas adsit, illam indicet.

§. 44. Sex modi potissimum sunt ad augendum erarium.

§. 45. 1. Bona publica fisco adsignanda sunt.

§. 46. 2. Vætigalia iis rebus sunt imponenda, ex quibus lucrum sentitur.

§. 47. 3. augetur ex sociorum pensionibus.

§. 48. 4. augetur ex liberalitate aliorum.

§. 49. 5. ex hostium spoliis.

§. 50. 6. ex usurpata mercatura & negotiatione.

§. 51. Alii etiam modi acquirendi pecuniæ minus usitati



sunt, vel auctus fuit valor nummorum; vel ferreus substitutus pro aureo; vel alutinus &c.

§. 52. *Remedia contra conspirationem* sunt, ut illa LL. prohibeatur, nec conventicula admittantur.

§. 53. *Remedia contra incuriam* sunt, ut cives, qui volunt stare Remp. sint potentiores cæteris, & excludantur, qui eam oderunt.

§. 54. Multi initio optimi, postea facti sunt pessimi ob nimiam potentiam. Igitur cautione opus.

§. 55. *Remedia contra dissimilitudinem hominum* ex antecedentibus præservativis patent: Si quidem ejus curatio in præservatione consistit.

§. 56. Orandum & laborandum est.

§. 56. Quidam Historici, qui causas proximas ignorarunt, interitum Rerump. ad *fatum* falso retulerunt.

Tantum!

Soli Deo Gloria.








# Ad Clariss. Dn. Præsidem.

**A**rdescit usq; & usq; mens ignea tibi  
**M**AGISTER, ingens eruditorum decus  
 Et amor Virorum: Nec, latere nescius,  
 Ille artium fervor satis se se capit.  
 Magis in dies magisq; ad alta nititur  
 Fastigia, ausu nec malo nec irritato.  
 Sic Sophia scilicet beare amat impigros  
 Gnavosq; cultores! Et amplior modò  
 Ex Politicis promittitur laboribus  
 Gloria tibi. Fruere bonis presentibus,  
 Et ad futura breviter adq; maxima  
 Grassare, qua datur via; cuncti prece  
 Votisq; subsequemur ardentissimis.

Conradus David Bücher.



*Ad Præstantissimum Dominum Respondentem, amicum  
 meum singulariter dilectum.*

**T**elluris varios mores in margine summo  
 Grex hominum fragilis, varias habet insuper artes:  
 Omnibus haud idem gratum, quod comprobat unus  
 Impensè, nisi summo tunc improbat alter.  
 Sunt qui per Syrtes horrendas puppe vehuntur,  
 Quærentes gemmas æ pondera flava metalli,  
 Sæpiùs at naves in saxa latentia torquet

Eurus





Eurus, tunc gustant ponto fera pocula mortis.  
Nonnullis volupe est canibus circumdare saltus,  
Venari lepores & cuspide figere bruta.  
Tunc alius campum curvo proscindit aratro  
Expectans gravidas insparso ex semine fruges.  
Sed Tu his demissis, Musarum munera mente,  
KREMBERGERE colis, Phœbéas imbibis artes,  
Pergas, Pegaseo suaves haurire liquores  
Fonte, virent laudes & gloria fama que crescunt.

Φιλοφιλίας χάριν ἐχεδίασε

TOBIAS KIRSTENIUS  
Torgensis Misnicus.

F I N I S,





05 A 328

ULB Halle 3  
004 209 63X  



lom











J. N. J. A.  
Cl. Arnifæi  
**UNIVERSA**  
**DOCTRINA POLI-**  
**tica Aphorismis brevissimis**  
**inclusa**

*Publicæ Disputationis loco proposita*

à  
**M. JOHANNÈ OLEARIO**

Hallens. S A X. Amplifs. Fa-  
cultatis Philosophicæ  
Adjuncto.

*RESPONDENTE*

**CHRISTIAN - ANDREA Krembergk**

Elect. Sax. Alumno.

*ad diem 27. Julij*

Horis à 7. Matutinis

*In Auditorio Majori.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO MDC XXXVI.